

sub tempus examinis decisorum expressione, tum a quo praesentati, per quem ac in quorum saltim principalium praesentia fuerint promoti, diligenter connotet, atque sic connotatos in Convocatione electionis alterius Decani praesentet et in effectu cum sigillo Facultatis, Statutis praesentibus ac alijs munimentis eidem electo Decano sub poena trium marcarum reddat. Ubi enim est noxa, ibi debet esse et poena (l. Sancimus. C. de Poen. quae suos regulariter tenet authores. c. Quaesivit. de His quae fiunt a major. part.)

## STATUTUM VII.

### **De Qualitate Professoris ad Collegium vocandi.**

Cum discere quisque prius debeat, ante quam alios doceat. (can. Non negamus. dist. 61.) ideo inherendo Statuto Universitatis de electione Collegiatorum et vocatione eorundem ad Collegia nuper conscripto et Libro Statutorum inserto; nullum ad Collegium Juridicum vocari debere Professorem, nisi illum, qui in lectura juris bene exercitatus fuerit, Lectionesque Juridicas omnes et singulas deligenter sub Clarissimis Doctoribus et Professoribus Utriusque Juris exaudiverit, ac super hoc fidele veritatis testimonium ab illis habuerit illudque cum Lectionibus exauditis Clarissimo Facultatis Juridicae Decano pro tempore existenti ante vocationem sui ad Collegium produxerit. Absurdum enim foret aliquem prius velle docere, quam discere. (can. Si officia. dist. 59.)

## STATUTUM VIII.

### **De recommendatione Professoris vocandi.**

Quamvis Professorum ad Collegium Juridicum vocatio ex antiqua praxi et consuetudine ad totam Universitatem pertineat; tamen Praepositus Collegij pro tempore existens, inhaerendo antiquo usui et praxi rationabili ac Conclusioni per Universitatem in Anno 1714. latae et Libro antiquo Conclusionum insertae, occurrente vocatione loci et Professionis, habito prius cum CC. DD. Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professorem actu laboran-